

tia autem consignificat assensum & serium affectum voluntatis ad faciendum.

a. Ipsum colophonem rei. ubi est

a. Præceptum

*α. Timendi Deum.* Timor Dei significat animi submissionem, qua, nobis abnegatis, Deum summum bonum, ipsius testimonio & federe nobis addictum, in desiderio & fiducia respicimus, cum sollicita cautione eum & gratiam ejus amittendi, tanquam summi mali. Et hic est filialis timor, quem tantopere commendat scriptura. Alius verò mercenarius, qui ex amore quotidianæ mercedis sive temporalium bonorum, & metu eis carendi proficiscitur. qui cum amore boni veri & odio peccati erat in fidelibus veteris testamenti, durante servitute elementorum mundi. At servilis timor est cum hypocrisi, quum quis dominum respicit, ut vindicem rigidum; ideoque bona facit & mala omittit invitus.

*β. Servandi præcepta ejus, nimirum: cum seria delectatione in bono opere, & seria aversatione mali.* Deum enim amare impossibile est, si non ametur voluntas ejus sancta & bona. Qui verò amat bonum, odit malum. Pl. 97: 10. Am. 5: vers. 15. 1. Joh. 2: 3. 4. 5.

b. Confirmatio præcepti secundum ejus utramque partem;

*α. Nam hoc est totus homo. q.d. extra hoc, nimirum cognitionem & timorem Dei, nihil est, quantus etiam sit sapientia, dignitate, viribus, opibus.* Hæc est confirmatio primæ partis præcepti. Interpretatio ista verborum talis est, ut ad eam omnes aliæ revocari possint. *Hic, Deus, est totus homo & omnis homo.* quia in ipso vivimus, movemur & sumus. *Hic* sive ista conditione est omnis homo, ut Deum timere debeat. vel, *hic,* qualis toto libro descriptus est, est homo. quæ interpretatio est A. E. vel *hoc est totus homo,* quò scilicet totus spectare debet. Merc. &c. vers. 13.

*β. Nam omne opus Deus vocabit in judicium, habendum de omni occulto & ignorato, sitne bonum an malum.* v. 14. vers. 14. *hoc est, Deus suo tempore omnia cogitata, dicta, facta ad*

L

re-